

[3:] **Prooemium.**

Tristis inprimis et quirula vox est sancti et sapientis prophetae Esaiiae de miseris et calamitatibus sui populi, cum inquit: „Manasse comedit humeros et brachia sua.“¹ Imago est rei horribilis et abominabilis sumpta a furore miserorum hominum, qui fame necantur. Hi enim, vt vitam in breuissime vix temporis momentum frustra sibi prorogent, rabie inediae incitati proprias carnes dentibus lacerant et immani cum laniena in sua viscera et crudelem in ventrem condunt. Ita, inquit propheta, rex noster immani saeuitia membra suae reipublicae suos ciues iugulat, sibiipsi manus auxiliares praecidit suumque regnum paulo post ab hoste externo opprimendum debilitat.² Hanc patheticam et sane lugubrem picturam necesse est in oculos piorum, sanorum et modestorum hominum incurrere, quoties de dissensionibus, distractionibus et confusionibus imperiorum orbis christiani in hac vltima mundi senecta cogitant, quibus omnibus peractis fatalibus periodis suae impendent ruinae et mutationes et quae proculdubio robore per ciuilia certamina consumpto et post tam longas intestinas dissensiones omni potentia languefacta hosti externo praedae futura sunt.

Verum etsi sane cum Scipione spectante Chartaginis incendium et simile factum suae patriae vrbi Romanae ominanti hunc versum de nobis pronunciate possumus: [4:] „Illa dies veniet, cum fato Troia peribit“,³ tamen, quibus doctrina ecclesiae nota est, iis se possunt erigere consolationibus, quas vox diuina monstrat. Sed piis longe acerbiorem dolorem creant verioris patriae, hoc est ecclesiae aerumnae. Immenso Dei beneficio verae doctrinae vox, quae multis seculis praestigiis sophisticis et pontificia tyrannide obscurata contuerat, repurgata est, illustrata vera de poenitentia, de inuocatione et aliis partibus, doctrina et depulsae plane cimmeriae superioris aetatis tenebrae atque ita pia et dulcis inter ecclesias emendatas fuerat etiam constituta concordia. Sed hostis Filij Dei diabolus, cum per externum hostem progressus veritatis impedire non posset, excitauit nobis intestina bella, quibus ecclesiae harum regionum ita quassatae et dissipatae sunt, vt qui ista sine gemitu cogitare possit, existimem reperiri posse neminem. Inuenti enim sunt homines rabiosi, furentes ex cupiditate gloriae, dominandi, pleni liuoris, maleuolentiae et vt ille dixit, quasi vtres turgentes superbia et opinionum vanitate, illi nihil reuerentes piam matrem ecclesiam, Cainico et parricidiali furore hume-

¹ Vgl. Jes 9,20.

² Vgl. Jes 9,13–20.

³ Diesen Satz legte Homer dem trojanischen Prinzen Hektor beim Abschied von dessen Gattin Andromache in den Mund. Vgl. Homer, Ilias VI, 448f., in: van Thiel, Ilias, 119. Der griechische Historiker Polybios berichtet in seinem Geschichtswerk davon, dass der römische Konsul Publius Cornelius Scipio Aemilianus angesichts der Zerstörung Karthagos im Jahr 146 v. Chr. diese Worte erschüttert auf seine Vaterstadt Rom bezogen habe. Vgl. Polybios, Historiae XXXVIII, 22, in: Polybios, Historiae. Bd. 4, hg. v. Theodor Büttner-Wobst, Stuttgart 1963, 501,20–502,15. Vgl. auch Diodor, Bibliotheca historica XXII, 24, in: Diodor, Bibliotheca historica. Bd. 5, hg. v. Ludwig Dindorf, Stuttgart 1970 (BSGRT), 59,15–25.